COMMENTATIONIS PINDARICAE

EMENDATIONIS STUDIOSAE ATQUE EXPLANATIONIS

LIBER SINGULARIS

ADIECTA TERENTIANI LOCI SELECTI EMENDATIONE.

SCRIPSIT

JOH. JOS. DR SCHWICKERT

PROFESSOR.

AUGUSTAE TREVIRORUM.

TYPIS ET SUMPTIBUS FRIDR. LINTZ.

1878.

COMMENTATIONIS PINDARICAE

EMENDATIONIS STUDIOSAE ATQUE EXPLANATIONIS

LIBER SINGULARIS

ADIECTA TERENTIANI LOCI SELECTI EMENDATIONE.

SCRIPSIT

JOH. JOS. Dr SCHWICKERT,

PROFESSOR.

I.

Carminis olympici X (XI) in libris omnibus et quotquot eorum manibus scripti et quotquot typis impressi preli opera sunt versus 4—6 ita fere exhibentur:

εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυες ὕμνοι
ὑστέρων ἀρχὰ λόγων
τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς.

Grammatici quos corruptela qua hic locus affectus est quamvis aperta lateret, cum de verbo finito ad Pluralem illum numerum μελιγάρυες pertinente propter singularem τέλλεται misere laborarent seseque torquerent, expedire se decreverunt omni difficultate illo quod ita vocitare consueverunt schemate Pindarico, quo alias quoque temere atque immodice sunt usi. Vi autem formulae eo nomine significatae subiecti alicuius sive masculini sive feminini generis posito Plurali numero verbum in singulari numero poni eadem ratione perhibetur, quae locum habet in plurali numero subiecti cuiusquam generis neutrius. Atque hic loci maxime cum eiusmodi rem nobis esse Pindarico schemate

asseverant. At contra equidem sic sentio philologicum sphalma potius hoc nobis loco corrigendum quam schema Pindaricum esse explanandum. Illud ΜΕΛΙΓΑΡΥΕΣ ΥΜΝΟΙ videlicet vitio quodam intercedente ortum est e ΜΕΛΙΓΑΡΥΟΣ ΥΜΝΟΥ quod ipsum ab illo πλεῖστα χρῆσις pendebat sic prorsus, ut reliqui genitivi et ἀνέμων et οὐρανίων ὑδάτων ὀμβρίων, παίδων κ. τ. ἑ. ab iisdem duabus illis itidem vocibus apti sunt. Post autem ΜΕΛΙΓΑΡΥΟΣ ΥΜΝΟΥ est scribenda μέση στιγμή, atque versus 4—6 in hunc fuerint modum conformandi: distinctione μέσης στιγμῆς (v. 3) facta post νεφέλας procedendum est sic:

εἰ δὲ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυος ὕμνου·
ὑστέρων ἀρχὰ λόγων
τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς.

Non solum vocem illam ὕμνου excipiat oportet μέση στιγμή, cum insequentibus duobus versibus hoc, cur affirmetur μελιγάρυος ὕμνου potissimum πλεῖσταν χρῆσιν esse εἰ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, doceatur, verum etiam subiectum nomen huius verbi τέλλεται manifestum est intelligendum esse illud: μελίγαρυς ὕμνος vel si mavis οὗτος, sic autem interpretandi causa digerendum componendumque esse: (οὗτος) τέλλεται ἀρχὰ καὶ πιστὸν ὅρκιον ὑστέρων λόγων μεγάλαις ἀρεταῖς. — σὺν πόνῳ i. e. tanquam socius laboris operosi = mit Mühewaltung im Bunde, mit Mühewaltung im Vereine. Coniectura Hermanni σὺν μόχθῳ in metrum violenta supersederi prorsus potest, cum sit supervacua atque inutilissima. — εἰ τις εὖ πράσσοι hoc loco non, id quod forte suspicatus sis, ad hunc revocandum erit intellectum: *si quis prospere res suas agat,* licet maxime obvia vel potius sermone tritissima sit ea significatio huius locutionis εὖ πράσσειν: cum neque prosperae vel secundae res neque mera felicitas sola per se aut μελιγάρυος ὕμνου aut ὑστέρων λόγων digna sit, verum loco in quo hic occupamur, illud εὖ πράσσοι positum eadem mente est qua alias καλὰ ἔρδοι, καλὰ ῥέζοι. τέλλεται i. e. hymnus ejusmodi exsistit atque laete surgit in altum sementis segetisque instar, exoritur tanquam laeta quaedam seges. Quae metaphora a germinatione tracta seminis, ita ut hymnus ille esset tanquam semen aliquod sparsum unde tanquam seges laeta quaedam gloria posteritatis progerminet cf. Pyth. IV, 28 τόθι γὰρ γένος Εὐφάμου φυτευθὲν λοιπὸν αἰεὶ τέλλετο. — ἀρχὰ καὶ πιστὸν ὅρκιον ὑστέρων λόγων in qua oratione ἀρχὰ nostrum eadem accipiendum est sententia qua in Aristoteleis περὶ ἀρχῶν libris idem terminus usurpatur, ita quidem ut nostro loco in haecce exeatur: tanquam germen atque principium certumque idemque iurisiurandi cautione confirmatum nobis atque satisdationis plenissimum pignus (ὅρκιον) praestandorum nostra causa posterorum sermonum i. e. posteritatis de nobis sermonum ubique celebrandorum atque cum honesta fama nostra et existimatione crepandorum causa (ὑστέρων λόγων). — μεγάλαις ἀρεταῖς i. e. *magnifice gestarum atque magnitudine sua praestabilium rerum amplorumque meritorum commodo,* haud forte: *amplorum commodo ornamentorum,* nec vero maiis: *magnarum usui virtutum*

V. 7 ἀφθόνητος hoc quidem loco sic vult intelligi: haud invidiose largus: *haud invidiose copiosus atque prolixus, remota ulla invidiosa parcitate large tributus, sine ulla mensurae aut modi invidia effuse impertitus* = in neidlos reichlichem Maße — αἶνος οὗτος = αἶνος τούτων (ἤγουν· μεγάλων ἀρετῶν). Perverse omnino illud αἶνος οὗτος interpretareris de illo altero: μελίγαρυς ὕμνος, neque rectius eius rei sententiam aequares ὑστέροις λόγοις. Ergo ea quae proxime explicavimus complexi ita explanabimus verba ἀφθόνητος αἶνος οὗτος: *sine ulla mensurae aut modi invidia aut parcitate laus illarum magnifice gestarum magnitudineque sua praestabilium rerum amploruuque meritorum* ἀγκεῖται (= ἀνακεῖται) id quod etymologica sententia erit capiendum, igitur: *seposita* et reservata atque condita est tanquam ἀνάθημα i. e. *tamquam munus honorificum ex omni profana atque vulgari exemptum atque segregatum usurpatione consecratumque* Ὀλυμπιονίκαις *i. e. olympicorum utilitati victorum fructuique* (Dat. comm.). — Veritati quidem nostrae huius interpretationis αἶνος οὗτος ἀγκεῖται = αἶνος μεγάλων ἀρετῶν ἀγκεῖται suffragatur locus hic Isthm. IV, 15—16 τὶν δ᾽ ἐν Ἰσθμῷ διπλόα θάλλοισ᾽ ἀρετὰ . . . . . κεῖται (i. e. ἀνακεῖται)

V. 9 ποιμαίνειν cum plenissima vocis gravitate dictum huc redit: *cum magna cura custodire et tueri et ad incrementum adducere = conservare et alere et augere* cf. Isthm. IV (V), 10 δύο δέ τοι ζωᾶς ἄωτον μοῦνα ποιμαίνοντι τὸν ἄλπνιστον εὐανθεῖ σὺν ὄλβῳ κ. τ. ἑ. Cujus arrepta loci opportunitate liceat nobis demonstrare intolerandum illud originationis vitium ad quam lexica nostra ad unum omnia revocare solent inusitatum sermonis consuetudine positivum gradum hunc ἀλπνὸς, quod vocabulum cum ab ἔλπομαι inducant derivatum, origine tamen sua idem est quod ἀλφενὸς contractum in ἀλφνὸς unde ἀλπνός, quae vox cum ἀλφή et ΑΛΦΩ themate, unde hoc alterum ἀλφάνω repeti solet, continetur.

V. 10. Res a poeta cogitata atque hoc quidem versu verbis expressa contrario nomine opponitur his: τὰ μὲν ἁμετέρα γλῶσσα ποιμαίνειν ἐθέλει. Quae vero cum in membrana Ambros. A., caeteris vetustioribus quotquot ad nostram memoriam permanaverunt codicibus mutila esset, tribus deficientibus, id quod ignorari omnino non posset ab ullo, extremis syllabis, cum profecto versum hunc 10um, quartum eundem Antistrophes, congruere plane cum versu quarto strophes utique necesse esset: librarius nescio quis auctor membranae Paris. C quem ea, quae hic excidissent, nihil latuissent, vacua eo conatus est explere loca ut adsumptis vocibus ὅμως ὦν i. e. *tamen igitur, atque tamen* rotundandi studio concluserit.

Quae oblitteratae refectio rei, quam praeter alios Ty. Mommsenius suam fecerit, non reparatio amissorum est, verum ad aliud nihil nisi ad damnosam sarturam recidit atque, sit venia verbo ut sua cum pace Gratiae ipsae fastidiosissimae dictum esse patiantur, tamquam ad nudam, inquam, quandam in tibialibus fissurarum laneis farcimentis obturationem inanemque in lacunas intermissi literarum monumenti improbae ineptaeque materiae male coactam intrusionem, in qua nemo esse possit quin habeat offensionem, qui quidem ad contextus filum accesserit evolvendum. Neque id mirum: namque: „ex altera quidem parte (τὰ μὲν) vult (ἐθέλει), quantum id quidem in nobis situm est[1]) nostra sane lingua (γλῶσσα) custodire illam laudem et tueri et conservare et ad laetum incrementum alere (ποιμαίνειν): verum (δ' = ἀλλά) beneficium atque munus divinitus ad nos delatum esse solet (ἐκ θεοῦ), cum vir (ἀνὴρ) florem agit (ἀνθεῖ) sollertissimi ingenii (σοφαῖς πραπίδεσσιν). *Atque tamen*, (sive *tamen agedum* ὁμῶς ὦν), *sic jam habeto* (ἴσθι νῦν), *equidem victoriam concinam.* Ita maxime, haudquaquam aliter, tenor orationis, dummodo perspectus e supplemento codicis Ambr. A et Tychonis Mommsenii recte esset, foret assequendus. — Agedum, aut isto pacto haec volunt dici: *poetae nos quidem linguam solummodo commodamus sane nostram, deus autem est quidam, qui in nobis insidet carminaque ad decorandam laudibus atque exornandam gloriam victorum ex sua unius erogare re solet atque largiri munificentia: verum ista minime curo, nihiloque tamen minus ad triumphalia tua spolia canenda accedam*". Qua in causa inepta poetam effutire quivis senserit, oculatum cum sit, quin tamen quisquam inveniatur qui adeo iniuriosam rem, poetam summum turpissime conturbare velle, ponere audeat. — Aut contra vero id quod efficeretur hoc loco, ad haec revocari se pateretur: *cum poetarum omne nos genus, cum ullumquemquam canimus, aliud nihil agamus quam ut deo cuidam in pectoris nostri penetralibus insidenti, linguae quidem nostrae commodemus officium: in hoc tamen ipso temporis vestigio deus iste ipse, quo non eo maiis in canendo queam carere, me a se desertum deficit quamquam, quid hoc rei est, quod neque curare me neque moram mihi ullam deceat facere: vel enim invito deo canam* i. e. *pro mea sane parte, carminibus te celebrabo, quantum quidem maxime valeo: etsi verum est, me in praesentia nihil probi posse reperire.* Suae ieiunam confessionem tenuis cuiusdam et angustae ingenii venae in ipsum carminum suorum argumentum convertere, neutiquam hoc erat Pindari. Id enim quod ad summum Opitzii prisci illi nostri potuerint vel alius quilibet eiusdem generis βαναυσίων versuum dipodiarum extremarum consonantibus clausulis instructorum, non ad illud divinus ille vates Pindarus descensurus unquam fuit idem egregius aeolii carminis ales qui passim

[1]) Id quod latet in illo: ἁμετέρα vi loci sui ad gravem in efferenda voce oris contentionem delecti.

idque summa cum suae ipsius virtutis conscientia et ingenua quadam, ductis quibusdam non illiberalibus spiritibus, elatione atque altitudine suaeque naturae facultatum viriumque erectissima fiducia in praestantissimi ingenii sui mentionem quam libentissime soleret incidere atque eodem semet quo Διὸς αἰετὸς et ὄρνιξ θεῖος (si tandem huic aliquo modo locus, qui non est, nominativo ὄρνιξ esset relictus) sive ὄρνις θεῖος numero vellet haberi. Etiam tum quoque si ex iis quae contra opposuimus quaerere deverticula velis atque opinione quadam purgationis flexiones hujusce modi fere: dicere velle illud Pindarum, ex ipso duntaxat vestigio atque hoc ipso primo tempore quidquam se reperire non posse, atque poetarum instar illorum qui multo post Weimari Musis vacaverunt, horarum imperio se atque nutui esse tanquam audientem daß er der gebietenden Stunde gehorche, quam ob causam, cum hoc scripsisset κελαδήσω, fidem atque religionem suam in posterum aliquod tempus esse pollicitum: tunc ipsum etiam haud nos quidem poterimus facere, quin obloquamur his fere verbis: Pindarum illum, quem quidem ex omnibus carminum suorum vocibus non significationis solum, dico, verum etiam professionis, cognitum atque exploratum habemus, futurum fuisse ut mallet obmutescere atque, si quis a se aut postulasset aut contendisset ne, tum etiam cum aut ipsa refrixisset animi inflammatio aut ille quidam in se divini furoris adflatus sponte sua haesisset, eo magis ab opere cessaret, ad eiusmodi condicionem rogationemque idem ille tantum abfuisset ut accederet, ut potius id quod quondam Mozartius noster fecit, subiecturus fuerit: „mercenarie aut sordide opificari haud equidem" „ullo tempore possum, necesse enim mihi est eas opperiri me horas, quibus dii voluerint ipsi quidem" „sacris ingenii epulis tamquam initiandum me ad se rapere, atque cum non equidem daemonii tamquam" „illius sim rector, verum meus ille potius moderator sit: hoc maxime propterea ego vero in animum" „induxi ut patienter eidem praestolarer, quoad rursus ad me sua voluntate sit deversurus". Itaque quam persecuti sumus argumentationem, ex ea omni modo indubium fiet. illam Theodori Bergkii coniecturam viri clarissimi atque multifariam egregie de Pindaro meriti, licet magis suae careat naturae inconstantia quam ista inania quaedam librarii codicis Parisini C quasi complementa orationis, quantopere prorsus fine suo excidisse appareat: ἐκ θεοῦ δ' ἀεὶ σοφαῖς ἀνθεῖ τις ὁμῶς πραπίδεσσιν; qua miserabili bonae copiae in eiuratione poeseos neque quidquam inest aut materiei aut indolis μελιγάρυος ὕμνου cuiusquam, neque hic quidem loci profecto Pindari quidem illa satis digna persona fuisset, quippe qui alias idem unoquoque loco atque in omni sermone vel opportuno vel importuno opulentissimas ingenii sui copias nihil infracta160 ferociterque erecta suarum virium fiduciae alacritate creparet hac maxime iactata et iterata re: πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας κ. τ. λ. Quid ergo! An forte iam illi potissimum pythicarum venationum principi atque tamquam agri atque regionis carminum sublime alatorum venatoriae pythici 'domini summo curatori, qui tamen glorietur, se unum maxime, quotiescunque eius sibi rei sit iniecta cupiditas, in ipsa venatoris indagine pythici habere venandi potestatem ipsius instructum instrumentis venatoriis venabulisque Phoebi sagittarii, quid! inquam, huic nunc maxime Apollinem pharetram una cum universa illa sagittarum copiae ubertate φαρέτραν atque τὰ πολλὰ βέλη, eheu, ademisse atque detraxisse! Re quidem ipsa, illa quam Th. Bergkius a nobis contendit rerum canorarum a Pindaro fabricae structae exaedificatio adversis vestigiis vocum adversatur tamquam materiei qua Pindarus ille quidem sua solet constituere versuum aedificia. Ergo de reficiendo hoc ob eam rem desperandum simpliciter erit versu Pindarico? Minime vero. Recuperare enim facillime amissa possimus, si duces sequamur gradationum in priore parte huius e duabus quibusdam contrariis geminatae sententiae expressarum discrimina in librandis servata a carminis nostri illustrissimo conditore ponderibus illis quibus in singulis vocabulis voce efferendis convenientique diversitate sonorum ornandis instruendisque nos uti voluit.

Et enim luce est clarius, vocabula quae respondeant in utraque eiusdem enuntiati parte contraria altera alteris pari utraque efferri vocis contentione necessario oportere.

Iam vero in versu 10 illud ἐκ θεοῦ δ', sublata omni rei controversia, huic voci ἁμετέρα versus noni contrario nomine opponitur. Atqui eidem a poeta vocabulo ἁμετέρα gravitas quaedam adiecta

est oris, cujus pondus possit notari velut Numero 1 cuiusquidem tunc pro portione numeri id ponderis quo vox haec γλῶσσα premitur fuerit $1\frac{1}{2}$ in pronuntiando versu. Quapropter necesse est etiam, in illo versu 10mo vocem γλῶσσα eam quoque suum suo loco quoddam contrarium vocabulum acerrimis signis expressum invenire, contrarium, inquam, eiusmodi cui cum illo ἐκ θεοῦ δ' eadem plane sit ratio numeri quae intercedat inter haec γλῶσσα et ἁμετέρα. Illud autem ἀνήρ, quod culpa Tychonis Mommsenii quadam cum fraude orationis irrepsit, eiusmodi contrarium fieri nullo modo potest ut efficiat, neque vero maiis illa a Th. Bergkio tentata coniectura ἀεί. ὕμνος autem iam esset maiis idoneum quiddam, verum offendit in metrum: voce nobis opus est cuius prima brevis sit syllaba. Agedum vocabulum in quo omnia ea insunt, quibus earum cumulatur rerum modus quae e morosissimo quoque difficillimi cuiusque iudicis postulari potuerint iudicio, est hoc ἔπος, ita ut posita ea voce in hanc versus nostri exeant conformationem:

. . . . τὰ μὲν ἁμετέρα
γλῶσσα ποιμαίνειν ἐθέλει·
ἐκ θεοῦ δ' ἔπος σοφαῖς ἀνθεῖ πραπίδεσσιν [1]).

Jam de integro in Pindaricis copiis coepimus consistere in quibus ἔπος i. e. *carmen epicum* pariter atque ὕμνος perficiatur σοφῶν μητίεσσι. cf. Ol. I. 8—11 ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται, σοφῶν μητίεσσι, ... ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους . . . . ἑστίαν, κ. τ. λ. Cuius quidem ἔπους aliis praeterea locis id proprium esse atque peculiare dicatur, ut sit ἐμῶν φρενῶν ἄνθος et γλυκὺς καρπὸς φρενῶν. Hoc autem ἔπος ἀνθεῖ σοφαῖς πραπίδεσσιν, id quod sincerum est atque putum Pindarici aurum sermonis haud ullius vilioris metalli vel levissimae particulae admixtione inquinatum. Jam vero nihil erit negotii ac, ni fallor, difficultatis omnis nodus expeditus erit, ut voti nostri clausulae huius versus oblitteratae eius quoque recuperandae possimus fieri compotes. Igitur quidnam erit inter ea quae proxime retulimus atque haec: ἴσθι νῦν Ἀρχ. παῖ, τεᾶς, Ἀγησίδαμε, πυγμαχίας ἕνεκεν κελαδήσω κῶμον ἀδυμελῆ ἀμφὶ στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας tanquam ligamenti atque commissurae cuiusdam sermonis? Ex ipso apposito ἀδυμελῆ eminet atque exstat, hocce Pindarum, id quod facere et alias passim consueverat. nostro quoque hoc loco a viro fortissimo, cui carminis sui obtulit honorem, probe velle intelligi, quanta sit talis tantique muneris praestantia. Quemadmodum enim alio loco apud eum legitur verbum vatis ore cum laude emissum (ῥῆμα ὅ τις ἂν ἕλοι φρενὸς ἔξω βαθείας) victori multo maiori usui esse potioremque longe operam navare quam splendidissimum lautissimumque statuarum ornamentum „dum eum centum potiore signis munere donat", quemadmodum crebro iactat, hymnum aliquem suum victori dedicatum quoddam desponsumque munus esse, quo ille a deo quodam augeatur, quemadmodum illum maxime fortunatissimum praedicat hominem, si quem Χάρις ζωθάλμιος ἐποπτεύει ἀδυμελεῖ φόρμιγγι, quemadmodum flumen laudationis ex suo potissimum ore victoris palma decorati auribus suaviter obstrepens Μοισᾶν esse δόσιν statuit, qua singularis cuiusdam benevolentiae causa viros de ludorum praemiis triumphum agentes donare se identidem asseverat: ἱλάσκεται νικώντεσσιν, ita prorsus loco quo iam immoramur cum vi quadam gravitatis hoc expromit: dei cuiusdam gratiae beneficium esse, quod Agesidami omnibus obsequii cumulis colendi causa in eum conferat. Qua cum mente poetae nostri consonum esse existimavi, hanc fuisse extremam partem versus decimi: ὅθεν δ' ὤν, id quod rursus est e genuino Pindarici genere sermonis, quali iam antea Ol. I, 8—10 ὅθεν ὁ . . . . ὕμνος ἀμφιβάλλεται, σοφῶν μητίεσσι, ... ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους κ. τ. ε. contigit nobis ut occurreremus. Emendationi autem meae, quod ad voluntatem attinet a carmine huius conditore in locum nostrum inclusam redintegratamque a me, confirmatio

---

[1]) Ab iis qui forte lecturi sint librum nostrum e Fr. Lintziana officina in Treverorum oppido recentissime in lucem emissum publicam atque hoc nomine inscriptum: Pindar's olympische Siegesgesänge in durchgreifend geläutertem Texte, caet. modestissime petimus ut dempto mendo typographico ἄνθει pag. 31 v. 2 antistrophes legere velint ἀνθεῖ.

accedit desumpta ex Pind. fragm. incert. op. Μαντεύεο Μοῖσα, προφατεύσω δ' ἐγώ. Glutinatorii vero operis speciem supra quam potest enarrari miselli atque improbi praebet varia Cod. Leid. B ceterorum recentiorum codicum scriptura: ἀνθεῖ ἐσαεὶ πραπίδεσσιν quam his superioribus annis secutus erat et Fr. Thierschius. Illa quoque ab A. Boekhio profecta coniectura πραπίδεσσιν ὁμοίως, ut enucleate nulloque adhibito fuco verborum animi mei sensum proloquar, tumultuarii simillima est necessitatis tanquam cuiusdam figmento edolati inconditique eiusdem atque incompositi operis.

V. 13. Κόσμον corruptela est atque ea quidem quae horride in oculos se ingerat et in qua multum insit recti iudicii sensusque integritatis offensionis: nescio enim an cuivis, qui quidem a sanitate sive dictionis sive mentis non discedat, absona atque putide otiosa haec esse videatur τοῦ κόσμου appellatio ἁδυμελῆ, ita quidem ut miri capitis ingenioque corrupti hoc dictum legentis animo obtrudatur: *ornamentum quoddam cultumque sive munditias* nescio quas *suaviter* esse *modulatas* quo nihil auribus est minus ferendum. Neque vero quisquam in hoc aberraverit, ut ita loquatur: κελαδήσω κόσμον decus aliquod vel alicujus generis *cultum vocibus canoris et magnificis gratoque cum concentu auribus obstrepentibus edam* ich will einen Schmuck in rauschenden Klängen ertönen lassen! Ne tunc quidem cum de strepitu bracteolarum inauratarum cultus atque ornamenti instar usurpatarum voluisset sermonem instituere. Quidquid id est, illud non est ambigendum, hac vocis ΚÓCΜΟΝ ineptia submotam duntaxat suo loco esse veram hanc ΚÔΜΟΝ i. e. ΚΩΜΟΝ scripturam: κῶμον κελαδήσω hoc quidem sane luculente iamque audio: namque haud raro legitur apud Pindarum.

V. 15. ἀλέγων *tenera cum reverentia atque omnem omnis verecundiae generis rationem habens* (nationis Locrorum: γενεὰν Λοκρῶν) κ. τ. λ.

V. 16. συγκωμάξατε nimirum ἐμοί, id quod neminem praetereat, cum antea dictum sit hoc: κελαδήσω. *Illic una mecum, laetitiam atque ovationem victoris causa profitentes carminaque canentes, pompam comissantes triumphalem ducite.*

V. 17. In Cod. Ambr. A est μή μιν, in ceteris autem membranis μή νιν vitiosum utrumque. Et enim sanus quidem nemo hoc modo loquetur: Vos autem sive amici vive Musae illuc, quaeso, proficiscimini atque itineri mecum vos committite. *Illud enim vobis fide mea obligata praestaturus sum atque recepturus in me, haud illum quidem* (μή μιν, μή νιν) *hominem, Agesidamum dico, in vulgare quoddam perventurum esse sordidumque vulgus aut idem ingenio humile et illiberale hospitumque adventum fuga evitaturum!* Quid ita! Numquid Agesidamus ipse ξένος est ἐν τῇ Λοκρῶν γενεᾷ, qui sibi putet timendum esse ὅπως μὴ ἀφίκηται εἰς φυγόξεινον στρατὸν, ita quidem ut illi de sua ipsius gente cavendum esset benigno admodum, adversus suae ipsius errorem opinionis, ipsum exceptum iri hospitio! Contra de Agesidamo mihi quidem illo vero videtur praestandum esse μή νιν (= αὐτον) ἀφίξεσθαι εἰς στρατὸν φυγοπολίταν vel φυξιπολίταν, cuius rei cautio dubito an supervacanea sit. Proinde scripseris haudquaquam μή μιν, neque μή νιν, quod perinde sit, verum verissime μὴ μὲν.

V. 17. στρατόν (hoc quidem loco) idem valet quod hoc: pullatorum et sordidorum hominum infima et pudenda et abiecta et despicatissima faex: humile atque sordidum vulgus, quisquiliae rusticorum turpiterque illiberalium atque probrosorum homuncionum *vile tourbe de plébéiens, vile et ignoble multitude, populace grossière, mal élevée, abjecte et souverainement méprisable.*

II.

Jam aggrediamur XIV^mi quoque reficiendi olympici carminis opus.

V. 2 scriptura ΚΑΛΛΙΠΩΛΟΝ codicis Vat. B membrana inter eas quae ex iniquitate temporum factae nobis sunt reliquae vetustissima mendum est. Fac enim hic scriptum esse vel illud λαχοῖσαι,

vel illud alterum λαχοῖσαν, quorsum, quaeso, spectabit compellatio huiusmodi: vos appello quae incolitis sedem quandam ubi sunt pulli equini atque ii speciosi, quandoquidem Cephisi vobis aquae sorte obvenerunt. Quid, inquam, hoc rei esset?

Numquid igitur ab aqua potissimum pulli suam habent equorum formam speciemque, an vero in ea re generosus equinorum fetus pullorum alendus vertatur inprimis, ut bonam maxime aquam praesto iis habeamus! Hoc quidem dicam bellissimum! Quanto vero sanius atque consideratius erit, *praedium* nostrum Musarum illud magnificam atque opimam *glebam* suam (τὴν καλὴν βῶλον) eximiae irrigationi ὑδάτων Καφισίων fluenti acceptam referre potius quam *pullos* cuiquam vel optimae *aquae*. Consequitur inde e ΚΑΛΛΙΒΩΛΟΝ, vitio quodam irrepente in membranam, factum esse illud ΚΑΛΛΙΓΩΛΟΝ, quae postea rima a scriba nescio quo expleta est ita ut fieret ΚΑΛΛΙΠΩΛΟΝ, quod adeo sit in promptu cuivis, ut haud equidem de ea re iam amplius aut cunctandum aut concertandum esse statuam.

Certissimum autem esse ab ipso poeta fluxisse non ab alio quoquam illud καλλιβῶλον, argumento idem evincitur potentissimo similis loci huius: Pyth. XII, 26—27 τοὶ παρὰ καλλιχόρῳ ναίοισι πόλει Χαρίτων, Καφισίδος ἐν τεμένει, κ. τ. ἑ. Nam Χάριτες non eo quod ibidem pullos speciosos invenire potuerant convertere decreverant τὴν ἐν Καφισίδος τεμένει πόλιν in illam καλλίχορον, verum propterea maxime, quod ibidem spatiosum atque ex omnium rerum ubertate otiosissimorum hominum refertissimum χῶρον erant nactae. Quid vero Musis, non modo cum pullis potissimum equinis sed etiam cum equorum omni genere rei est? Valde enim vero hoc ego vereor, ne illud ad summum equi illi pullini egregie calleant ut ἐν τεμένει Καφισίδος, petulanter se circumagentes, choreas Χαρίτων ne disturbare potuissent. Atque, ut jam satietatis vitandae causa concludam, ob eam, opinor, causam sedes erat Musarum in iugeribus tam praeclarae sationis atque opimae collocata, quod sibi Cephisi perquam eximiae facta erat rigationis copia. Quae cum ita sint, necessario liquebit, non hoc porro ΛΑΧΟΪϹΑΙ, verum illo vocabulo ΛΑΧΟΪϹΑΝ = λαχοῖσαν detrimentum quoddam membranae ex vetustatis aliqua injuria illatum probe sarciri. — αἴτε poetarum more positum est pro αἳ neque quidquam habet offensionis. Ordo autem sic fuerit struendus: αἴτε ναίετε ἕδραν καλλίβωλον λαχοῖσαν Καφισίων ὑδάτων κ. τ. λ.

V. 3 ἀοίδιμοι βασ. non id est, quod forte putaveris: *digni qui canantur* verum hoc: *canendi principatu atque summa facultate poetarum animis ad canendum vehementer commovendorum praestabiles atque potentissimae,* reines des chants puissantes d'inspiration au service des poëtes. cf. Nemeon III, 79 πόμ' ἀοίδιμον κ. τ. ἑ. potio efficacissima haustu suo poetarum ad inflammandos sensus motusque animorum mentium admovendarum: *un breuvage qui a de la puissance pour le chant, breuvage puissant d'inspiration lyrique* cf. Pind. fragm. Prosod. 67 (60) πρὸς Ὀλυμπίου Διός σε . . . . κλυτόμαντι Πυθοῖ, λίσσομαι, Χαρίτεσσί τε καὶ σὺν Ἀφροδίτᾳ, ἐν ζαθέῳ μὲ δέξαι χορῷ ἀοιδίμων Πιερίδων προφάταν, ubi satis per se est perspicuum, poetam non eius rei causa Apollini precari, ut accipere se velit Pieridum interpretem atque praeconem (προφάταν = προφήτην), quod eaedem sint carminibus atque laudationibus dignissimae neque maiis, quod si cum Ty. Mommsenio, Bergkio aliis scripseris ἀοίδιμον, idcirco quod sit ipse perquam dignus qui cantibus praedicetur atque efferatur, verum propterea duntaxat, quod aut illae aut ipse summam habeat potentissimorum carminum efficientiam, quibus effingendis oratione suorum formulas verborum oblaturum se esse profitetur. Ceterum ne id quidem verum est, scribendum esse ἀοίδιμον, cum eo loco de quo iam sermonem instituimus appareat, esse appositum illud non vocis προφάταν verum Πιερίδων, ita ut iam corrigendum ἀοιδίμων esse videatur, praesertim cum eius potissimum rei causa Pindarus se Musis suarum operae virium praestandae esse gestientem proloquitur, quod sibi quidem honorificentissimum esse futurum intelligit, si se caeteris potiore Musae tanquam instrumento voluissent uti, quippe quae mirificae sint poeticae inflammationis animorum effectrices atque quibusvis aliis carminum fundendorum potentissima facultate superiores. — λιπαρᾶς

Ὀρχομενοῦ i. e. *Orchomeni splendoris luce atque claritate florentissimae atque opiparae.* Orchomenos urbs ad ostium quo Cephissus in Copaim lacum influit in valle quadam opime irrigata atque feracissima sita erat. Numerabatur autem inter antiquissima clarissimaque Boeotiae oppida. — βασίλειαι Ὀρχομενοῦ. Charites una cum Musis e sedibus suis avitis quae fuerant in regionibus quae ad radices sitae erant Olympi eius qui est in Pieride excesserant patria Thracum opum lyricarum copia affluentissima, atque una cum Thracibus, a qua gente prima origine sua utraeque cultae essent, agros petiturae ad radices Heliconis adiacentes commigraverant in Boeotiam. Societate autem atque causa sua cum hilaris illis itineris sui comitibus, iisdem Musis, quae libenter gelidarum maxime aquarum accolae esse solent, communicata, Orchomeni consederant ob eam potissimum causam, quod id oppidum Cephisso est finitimum. Quare poeta: αἵτε, inquit, ναίετε ἕδραν λαχοῖσαν ὑδάτων Καφισίων, ita ut, emendationem nostram: ἕδραν λαχοῖσαν κ. τ. λ. illam quidem large effuseque confirmatam esse, nemo iturus sit infitias.

V. 4 παλαιγόνων Μινυᾶν κ. τ. ἑ. Minyorum genus priscum regum fuit Orchomeni, cuius auctor et princeps gentis fuit Minyas, a cuius eiusdem nomine Homerus (Ιλ. β', 511) urbem appellavit „Μινύειος". Quam originem appellationis redigit in memoriam Thucydides, ubi Orchomenum illam Boeotiae ab alia quadam in Arcadia sita Orchomeno studiose segregavit. (Thuc. IV, 76) Χειρώνειαν δὲ, ἥ ἐς Ὀρχομενὸν τὸν Μινύειον πρότερον καλούμενον, νῦν δὲ Βοιώτιον ξυντελεῖ, ἄλλοι ἐξ Ὀρχομενοῦ ἐνεδίδοσαν κ. τ. λ. — ἐπίσκοποι Μινυᾶν ita honoris causa a Pindaro Charites appellantur i. e. amantissime *vigilantissimae custodes Minyorum.* Minyos illos quidem gratos sibi acceptosque in manibus maxime Charites habebant, a quibus potissimum priscis colerentur temporibus. Eteocles enim Minyae filius summo studio traditur atque diligentia elaboravisse ut eorum religionem aequalibus suis commendando quam latissime dilataret. Inde autem et quod Pindarus in hoc carmine eodem perinde quo Hesiodus filiarum Jovis (θεῶν κρατίστου παῖδες) Charitum cognomento utitur, et quod in ternario earum numero ab Hesiodo (Hesiod. Θεογ. 907—911)[1]) constituto permanet, et quod aliis locis neque unquam in studiis atque deliciis deorum numinumque coelestium persequendis ab eodem Hesiodo aut ullam in partem haud aberrat id quod velut cum in Ol. XIII de Horarum origine atque officiis loquitur perspectum habemus, ubi testes sumus coniunctissimi Pindari Horas inducentis Corinthiorum maioribus in pectora ἀρχαῖα σοφίσματα iniicientes cum Hesiodo curam Horas operum humanorum gerere eademque regere et moderari et adiuvare atque tueri volente consensus[2]): inde, inquam, et coniiciendi quoddam nostrum ius esse ducimus, in studiis eum atque deliciis Gratiarum verbis φιλησίμολπέ τ' Εὐφροσύνα, ... Θαλία τε ἐρασίμολπε adumbratis, cum Euphrosynen festorum solemniumque praeficeret laetitiae, Aglaïan nitori atque adparatui, Thaliam autem non solum prospere secundarum atque florentissimarum rerum verum etiam hilarae jucunditatis deliciis cum rerum florentissima fortuna coniunctis, in illis quoque itidem senem illum Ascraeum quidem auctorem esse

---

[1]) *Τρεῖς δέ οἱ (Διὶ) Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους,*
Ὠκεανοῦ κούρη, πολυήρατον εἶδος ἔχουσα,
Ἀγλαΐην τε καὶ Εὐφροσύνην Θαλίην τ' ἐρατεινήν.

[2]) Pind. Ol. XIII (6—8. 14—17) *ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει*[3]) *κασιγνῆταί τε, ... Δίκα καὶ ὁμότροπος Εἰρανα*[4]) *ταμία ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος· . . . . . ὔμμιν δε, παῖδες Ἀλάτα, ... πολλα δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον Ὧραι πολυάνθεμοι ἀρχαῖα σοφίσματα· πᾶν δ' εὑρόντος ἔργον* — Hesiod. Theog. (901—903):

δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας
Εὐνομίην τε Δίκην τε καὶ Εἰρήνην[4]) *τεθαλυῖαν,*
αἵτ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι·

[3]) Mendum in libro meo: Pindar's Olymp. Siegesgesänge u. s. f. S. 37 Od. XIII. strophe *ά*, 6. v. relictum corrigendum erit sic: *κασιγνῆταί τε* non autem cum Cod. Par. C scribendum: *κασιγνήτα τε* neque maiis cum Vat. B. *κασίγνηταί τε.*

[4]) Friede **ernährt**, Unfriede verzehrt, nunquam autem dicitur: Recht **ernährt** 2c.

secutum atque iterum confirmari, id quod alio loco iam praecepimus, ab illa verecundia quadam effusae illius licentiae quam Homerus in effingendis passim exprompsisset Graecorum rationibus religionis et morum honestatis neque aberrationi nostro poetae ad Homerum ab Hesiodo aut disiunctioni locum esse relictum, ita prorsus ut ea quam diximus verecundia intimi eius animi sensus pertentarentur atque commoverentur, quo factum esset ut a mutuandis ab Homero atque in sua transferendis rebus theologicis et aversissimum et saeptissimum munitissimumque se tueretur, contra autem secus longe esse de ea quae inter Ascraeum atque Thebanum intercederet rerum communitate, quippe cum Hesiodi theogonia mirum quantum ad Pindarum pertinuisset, cuius de rebus divinis sententias ita plane contigisset, ut illius hic noster vestigiis unius fere solis insisteret non tantum in deorum fabulis sed etiam in iis originum atque propaginum figmentis quae de heroïbus atque hominibus in mythologia traderentur. — Est in membranis κλῦτ', ἐπεὶ εὔχομαι, id quod cum maximam adfert, metrone satis sit congruum dubitationem, eo majis quod Pindarus, ut est servandorum metrices praeceptorum diligentissimus atque restrictissimus aestimator, tantum non semper thesi, quam vocant, non concessisset ullam quae incurreret in syllabarum longarum correptionem vim, tum etiam illa voce ἐπακοοῖτε versus 15^{mi} quae est ipsa cum gravitate redintegratio duntaxat huius in quod jam anquirimus κλῦτ' ἔπι (= ἐπίκλυτε), redarguitur.

Hoc reponendum enim suo in loco judicamus κλῦτ' ἔπι, εὔχομαι i. e. *date, quaeso, operam canenti atque illum attendite, verbis, id vos oro, supplicibus,* cuius quidem adiumentum interpretationis depromitur ex his: . . . . . Ἀγλαΐα . . . . . Εὐφροσύνα, Θαλία τε (ἐπακοοῖτε) ἰδοῖσα τόνδε κῶμον . . . . . Λυδίῳ Ἀσώπιον [1]) ἐν τρόπῳ ἔν τε μελέταις ἀείδων ἔμολεν, οὕνεκ' Ὀλυμπιόνικος ἁ Μινυεία σεῦ ἕκατι, quibus verbis poeta Gratias eo maiis adlicere atque attrahere studet, quo pollicetur, illis quoque se partem aliquam laudis largiturum futurumque esse ut carminis eius quod in honorem Asopii a choro ageretur debita in illas quoque pars permanaret, neque esse periculum ut eae quoque ne nihil inde essent ablaturae.

V. 5—6. In libro scripto Vat. B legitur σὺν γὰρ ὑμῖν τὰ τερπνὰ, quod omnino abhorret a metro. Godofredus Hermannus ter hic evolavit atque e carceribus tanquam exiit emendandi causa, ter autem a proposito suo aberrans destinatum ferire non potuerat: primo quidem ita refingere est conatus: σὺν γὰρ ὑμῖν τά τε τερπνά, deinde: σὺν γὰρ ὔμμιν τά γε τερπνά, in quibus posterioribus verbis ab illo viro commendatis haud ullus praeter illud ὔμμιν ad meliora in corrigendo processus queat sentiri: at quam praepostera atque vitiosa illius γέ in hoc ordine τά γε τερπνὰ locatio! Quasi vero fieri unquam potuisset, ut Pindarus hoc fere pacto deliraret: *cum a vobis quidem stamus atque vobiscum maxime facimus, tunc ea tamen inveniamus quae optare sit pretium, ut sunt jucunda et suavia rerum oblectamenta* (τὰ τερπνὰ) *et laetae blandaeque voluptates, ex aliis autem praeter vos ea tantum capere possimus quae nihil nobis expetentibus digna sint, cum apud illos eiusmodi frustra aucupati fuerimus* cupediarum frusta atque bellariorum. Lepidissimum sane! An forte tertium quoddam Hermanni clarissimi viri commentum spectatius esse poterimus ad ignem obrussamque exactum praedicare, tertium, inquam, quod Th. Bergkius quoque lectissimus vir suum fecit? σὺν γὰρ ὔμμιν τά τε τερπνά. Quis hoc velit retinere, cum id quoque metro dissolvatur atque refutetur? Non minus autem inepta atque explodenda est haec Boekhii condicio: σὺν ὑμῖν γὰρ τά τε τερπνά. Hic ita emendandum est: κλῦτ' ἔπι, εὔχομαι. Post hoc autem in locum τελείας στιγμῆς substituenda est μέση. Quo facto scribendum est:

σὺν ὔμμιν γε τὰ τερπνὰ καὶ κ. τ. ἑ. —

τὰ τερπνὰ interpreteris esse rerum *grata atque iucundissima* — was ergötzlich ist, τὰ γλυκέα autem *voluptatum blandas suavitates*, was wonnig süß ist.

---

[1]) In libro meo: Die Olymp. Siegesgesänge Pindar's u. s. w. Trier 1878 relictum est in titulo Carm. Ol. XIV, pag. 42 mendum hoc: *ἈΕΩΠΙΩι*, cum typis excudendum esset: *ἈΣΩΠΙΩι*. Aliud praeterea mendum est in pag. 143, lin. 16 ubi legitur *commodior* cum tamen legendum esset: *commodius.*

V. 6. In Cod. Vat. est γίνεται. A qua scriptura iterum Ty. Mommsenius non potest a se neque impetrare ut se disjungat aut inducere in animum: etsi metrum ea perfringatur ita prorsus ut in corruptelarum numero sit habenda. Boekhius autem scitissima huius loci atque verissima usus est correctione, cum praecepit γίγνεται, ad quam emendationem se adplicavit Godofredus Hermannus. — ἀγλαός· ἀγλαὸν eum existimamus *qui honoris sit amplitudine insignis atque niteat* = der in glänzender Ehrerweisung strahlt. —

V. 8—9 mendis laborant. Atque profecto quonam pacto dicere audeamus (ὅτι) ϑεοὶ κοιρανέουσι χοροὺς καὶ δαῖτας i. e. deos in omni genere et chorearum et epulorum principes atque magistros primis locis incedere? Ecqua literarum aut famae memoria antiquitatis aliqua suppeditatur confirmatio et fides ei qui hoc ponat: ubicunque terrarum aut lauta convivia adpararentur aut ducerentur choreae deos maxime caeteris omnibus magisterio quodam fungentes atque principatu praegredi esse solitos? Atque, quinam nobis quisquam concesserit ut statuamus, Charites quidem illas esse a quibus hoc sive magisterium sive principatus ille ad deos aut delatus esset aut demandatus? At tu, οὐ . . . . . γὰρ, inquies, Χαρίτων ἄτερ· ἀλλὰ . . . . . σέβοντι τιμάν. Ain? Illud sane quidem est: σέβοντι τιμὰν, verum enim vero haud fortasse τῶν ϑεῶν, immo πατρὸς Οὐλυμπίοιο, ita prorsus ut mature considerantibus nobis hunc locum: ἀλλὰ πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ . . . . . σέβοντι πατρὸς Οὐλυμπίοιο τιμάν utrumque hoc perspicue adumbratum esse videatur: primum quidem non hic maxime de omni genere χορῶν et δαιτῶν verum de χοροῖς et δαίτεσσι τῶν ἐν οὐρανῷ proinde τῶν ϑεῶν agi. Age vero, ita comparata res cum sit, quinam tamen possit fieri, ut ad hoc verba quae sunt in controversia posita recidant, ad quod quidem, dummodo recepta steterimus lectione, necessario debebunt rejici: οὐδὲ γὰρ ϑεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ κοιρανέοντι χοροὺς οὔτε δαῖτας τῶν ϑεῶν!! Deinde ambos versus 12um atque 9um adversis quibusdam inter se confligere frontibus, cum ex altera parte asseveretur, deos ipsos maxime primis incedere locis, ex altera vero esse eundem principatum ante alios patri potissimum Olympico singularis ornamenti atque praecipui honoris praestantiae causa concessum: σέβοντι τιμὰν πατρὸς Οὐλυμπίοιο, quis tandem adeo mente hebes aut captus sit, ut non cernat. — Cuius ergo rei exitus haud diutius aut in obscuro positus aut tamen anceps hic erit, scriptum fuisse versu nono Ζεὺς, nihil autem Σεμνᾶν, quod ipsum Ζεὺς vocabulum horum maxime corruptionis decursu graduum flexuque sensim ad CЄMNÃN ita delapsum esse, ut hoc alterum ad extremum loco suo esset submotum:

1) ZЄΥC
2) ∠ЄΥC
3) ʟЄΥC
4) CЄᵞC
5) CЄϒ
6) CЄϒ
7) CЄ ϒ
8) CЄΜ

Qua in peius mutationis via atque progressu pristinum ZЄΥC in nescio quo constitisset CЄM, quod CЄM postea ab incauto aliquo librario fragmentum quoddam putatum vulgatae hodiedum scripturae CЄMNAN atque in lectionem ante nostram memoriam iam pridem usu tritam perscriptum est.

V. 10. Illud KOIPANЄONTI vitio ortum est ex oratione primitus literis mandata, quam fuisse necesse est KOIPANЄЄN TOI. Eiecto autem hoc οὐδὲ γὰρ ϑεοὶ, quod quidem, nimio quodam depravationis cumulo, cum mendis laboret tum etiam extra fines metro constitutos egrediatur atque tanquam in legum impingat metricarum cancellos qui ita sint circumscribendi:

— ◡ — ◡ ◡ — — ◡ ◡ — ◡ —

(versus 8us strophes atque versus 8us antistrophes): reficiendum esse censemus sic: οὐδὲ γάρ τι ϑεῶν ita ut uterque versus 9—10 in hanc redigendus sit formulam:

οὐδὲ γάρ τι θεῶν Ζεὺς Χαρίτων ἄτερ
κοιρανεέν τοι χοροὺς οὔτε δαῖτας· ἀλλὰ πάντων ταμίαι κ. τ. λ.

ταμίαι πάντων ἔργων κ. τ. λ. In qua verborum copulatione illud ἔργον vim habet *rei* quae eadem usurpata vis est in Ol. V, 16 πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον, ita quidem ut verba illa in hanc sint accipienda sententiam: *largitores atque dispensatrices omnium rerum in coelo.* cf. Isthm. VI (V), 57 Φυλακίδᾳ γὰρ ἦλθον, ὦ Μοῖσα, ταμίας Πυθέᾳ τε κώμων Εὐθυμένει τε, κ. τ. λ. — cf. Ol. VI, 5 βωμῷ τε μαντείων ταμίας Διὸς ἐν Πίσᾳ κ. τ. ἑ. — θέμεναι θρόνους παρὰ Πυθῷον Ἀπόλλωνα i. e. cum tamen juxta Pythonis interfectorem Apollinem regia sua sedilia audacter atque impavide (θέμεναι, ἤγουν· ἀφόβως sine metu) sibi (Med. θέμεναι) collocaverint, haudquaquam neque aut petentes sibi aut vindicantes aspiraverunt unquam ad aliquam sive iuris sive dignitatis vel honoris cum patre olympico aequationem: verum praestantiae atque excellentiae ornamentorum eius loci atque decorum i. e. amplitudini atque auctoritati honoris principatus[1]) illius quidem summam iugiter et praestabunt et servabunt reverentiam cavebuntque omni cum genere verecundiae, ne aut eius rei statum unquam labefactent aut quidquam certe de eo deminuant.

Pindarum, cum locis universis his: Ol. VII, 7, Ol. V, 6, Ol. IV, 3, Ol. III, 15, Ol. I, 99, Ol. I, 84, Ol. I, 3, Ol. IX, 106, Ol. XIII, 15, Pyth. I, 73, Pyth. IV, 220, Pyth. IX, 70, Pyth. IX, 102, Pyth. X, 7, Nem. III, 7, Nem. III, 83, Nem. V, 49, Nem. X, 32, Nem. X, 51, Isthm. III, 1, Isthm. V (IV), 55, Isthm. VI (V), 48, Isthm. VI (V), 72, Isthm. VIII (VII), 5 harum duarum syllabarum ἀεθλ alteram εθλ produxisset, quam ad summum decem tantum locis contraxisset, colligendum est, toties solummodo, quoties ad hoc necessitate adductus esset metri, ab ista consuetudine producendae syllabae εθλ deflexisse atque nostro quoque loco potiorem esse productionem eiusdem syllabae contractione, ita ut rursus in versu respondenti satius existimandum esset Οὐλυμπίοιο esse, prima Οὐ syllaba producta, quam Ὀλυμπίοιο, contracta, scribere: cum praesertim haud aegre Pindarus hac huius vocabuli scriptura utatur. — χρυσότοξον θέμεναι παρὰ κ. τ. λ. Hic velim attendas ad id quod poeta illud χρυσότοξον appositum loco ipso eius cum quadam gravitate fecit eminentius ut hoc significaret: contempto atque neglecto armorum illorum metuendorum terrore atque formidine neglecta arcus aurei sagittarumque quibus Apollo confecisset Pythonem draconem horrendum atque immanem, non eo maiis veritae Charites sunt sedes suas aureas iuxta sedile Apollinis collocare: παρὰ Πυθῷον Ἀπόλλωνα breviloquium est verborum horum: παρὰ Πυθῴου Ἀπόλλωνος θρόνον.

V. 11. Πύθιον illud vulgatae scripturae metro adversatur. Cuius versus schema non ex Tychonis Mommsenii errore descriptionis his terminis definitur:

⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ –
  ⏑⏑

cum non tantum prima syllaba Πυθ versus 11[mi], verum etiam prima syllaba κολπ versus 23[i] itidem sit longa: mensura quidem circumscriptionis metri nostri haec erit:

– – ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ –

atque hunc esse omnis versus 11[mi] decursum erit necesse:

Πυθῷον Ἀπόλλωνα θρόνους

ex praestabilissima Ahrensi clarissimi viri emendatione.

---

[1]) τιμὰν = locum ab illo honoris atque principatus causa occupatum, *sa place et son rang d'honneur.*

V. 12 σέβοντι i. e. *reverentiam habent atque respectum observantissimum* (loci amplissimi debiti patri Olympico). Scriptura autem **ἀέννaον** membranae Vat. B ceterorum vetustiorum codicum infeliciter tentata est in medela mendo adhibenda a superioribus aetatibus recepto atque ipsa ancipiti contaminata est corruptela: etenim cum syllaba α vocis ἀένναος brevis sit, contra longa sit syllaba ενν enascitur inde in duas partes metri laesio. Mensura enim temporis Pindarica haec

— ◡ ◡ —

inde depravata est in hanc

◡ — ◡ —

Adiectivum autem ἀέναος poetarum forma est vocabuli ἀείναος derivata autem a dorio ἀές = ἀεί et a νάω ita ut notio quae sub hac voce subest latino sermone expressa ad vocis *jugis* significationem revocari possit, ut *jugis aquae fors* Horatianum illud graece sic fuerit transferendum: ἀενάου ὕδατος παγά. — Age vero, cum praeter formam doriam ἀὲς altera vetustior etiam versaretur, puta αἰές [1]), necesse est pariter etiam hac ἀέναος fuisse formulam quandam vestustiorem, hanc dico αἰέναος. Qua forma recuperata atque recepta emergemus de integro ad lucem pristinae atque probae Pindaricae scripturae, quae sine ullo dubio haud alia ulla fuerit nisi ΑΙЄΝΑΟΝ. Quod Neutrum Adj. adverbialiter accipiendum atque adnectendum est ad σέβοντι, ita quidem ut hoc exeat: *iugiter verentur patris Olympici honorem*

V. 14 φιλησίμολπος est is *qui amat carminum modos.*

V. 16 ἐρασίμολπος qua voce cumulus atque incrementum quoddam accedit ad vim potestatemque vocabuli φιλησίμολπος, cuius cum quadam exaggeratione is appellatur *qui cupidissimus atque studiosissimus est lyricorum modorum.* — τόνδε κῶμον hancce pompam triumphalem cum cantu carminum solemnis ovationis plenorum gressibus exultatione laetis prosequendi victoris laureae reportatae causa incedentem. Iuvabit hic ansam hoc loco datam arripere ut in omnem partem et expediamus definiendam atque constituendam accuratius vocabulo huic κῶμος factam a Pindaro potestatem, et ut inanitates illas omnes nugarum atque tanquam vepres erroris quibus Fr. Thierschius, alii, aditum ad veram eiusdem huius vocis vim mentemque praestruxerant atque praecluserant amputandos penitusque semel in perpetuum circumcidendos manum audacter admoveamus. Operae quidem pretium fecisse mihi videor, si ad recte terminandum huius sensum vocabuli pro virili parte aliquid certe contulerim, quippe in quo ad unum omnes et lexicographi et interpretes exhibere mihi visi sunt velle, quid in perperam interpretando possent efficere. Quasi vero quidvis se nobis probare posse sibi finxissent, omni opera contenderunt ut imponerent nobis suum istud vacuum falsae opinionis commentum, κῶμον hoc nostrum *epulas festae laetitiae* cuiusquam cum amicis et propinquis et vocatis convivis *adparatas* significare.

Quamquam ex universis locis quibus ista appellatio κώμου versatur in Pindaro et ex appositis eius et ex ea ratione qua Pindarus de κώμῳ verba facit tantum elucet ut probe sentiamus κῶμον *carmen triumphale,* non autem *epulas, ovantium* laetitiae patefaciendae cum honore *victoris causa actum* esse capiendum, quod carmen tum in pompa honorifica quae comes ipsius victoris duceretur (Ol. IX, 1—2) tum ante vel victoris vel parentum eius aedium januam (Isthm. Z′ [H′, 3—4]) atque vel tum socio victore ipso vel tum sine eius societate cantus percineretur. Quod si alicubi gentium κῶμος epulae essent, constans enim esset κωμάζειν suo loco hoc sibi velle: *epulas* habere vive *epulari.* Unde consequeretur loco quem simus iamiam laudaturi *vocibus* Athenienses suis non autem faucium palatique 'opera et ministerio *epulatos* quondam esse Nem. I, 33—35 ἀδεῖαί γε μὲν ἀμβολάδων ἐν τελεταῖς δὶς Ἀθαναίων νιν ὀμφαὶ κώμασαν. Quid quod ipsum victorem (νιν = eum) epulando fuerunt consumpturi!

[1]) In libro meo: Pindar's ol. Siegesgesänge pag. 53, Nr. 4, v. 2 legendum erit αἰές non autem αἰεί, id quod metri quadam necessitate a natura versus 2 antistrophes efflagitatur.

Porro quonam pacto poeta dicere potuit Nem. IX, 1—3 κωμάσομεν παρ' Ἀπόλλωνος Σικυώνοθε, Μοῖσαι, τὰν νεοκτίσταν ἐς Αἶτναν, ἔνθ' ἀναπεπταμέναι ξείνων νενίκανται θύραι, ἐς Χρωμίου δῶμ'· ἀλλ' ἐπέων γλυκὺν ὕμνον πράσσετε. Qui locus gravissima, opinor, habet ad disceptandum momenta, neque vero maiis quam aliquis e Germanis hominibus poeta hoc dixerit: agitedum, mea carmina, *epulando* quidem satagamus gnaviterque contendamus ut *attingamus* Rostockum atque Moltkianas aedes clarissimi militum imperatoris, de *epulando* hic cogitaverit Pindarus. Ceterum e loco potuerimus jam laudato eruere, quae res ad κῶμον agendum essent necessariae. Haec vox: κωμῳδία suo loco primis temporibus haud de alia re solita est intelligi praeterquam de carmine aliquo quod, ovantium orationis specie, hominis alicujus traducendi voluntate ludicra male dissimulata cum ipsa ludificationis mente ageretur. Loci vero commoditate sua prorsus egregii, cum mirifice ad institutum nostrum probandi causa faciant, sunt hi: Ol. VI, 15—18 Ταλαϊονίδας εἶπεν ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος· „ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς", ... τὸ (ἔπος) καὶ ἀνδρὶ κώμου[1]) δεσπότᾳ πᾶν ἐστι Συρακοσίῳ. Carmen agitur Agesia cuiusdam viri syracusani praedicandi causa, idemque maxime est ille ἀνὴρ κώμου, nec vero vir *epularum laetarum*, verum *triumphalis cantus atque hymni*. — Porro Isthm. VII (VIII), 1—5 Κλεάνδρῳ τις ἁλικίᾳ τε λύτρον εὔδοξον, ὦ νέοι, καμάτων, πατρὸς ἀγλαὸν Τελεσάρχου παρὰ πρόθυρον ἰών, ἀνεγειρέτω κῶμον, Ἰσθμιάδος τε νίκας ἄποινα καὶ Νεμέᾳ. — ἀνεγείρειν ἐπέων οἶμον, ἀνεγείρειν δόξαν τινός, ἀνεγείρειν κῦδος, ἀνεγείρειν λύραν, ἀνεγείρειν μέλος sunt omnes hae ad unam merae Pindaricae vocabulorum copulationes atque coniunctiones. Hic autem nobis quaerendum est, numquid sano capite dici unquam possit: ἀνεγείρειν δαῖτα, ἀνεγείρειν δόρπον, ἀνεγείρειν δεῖπνον aut fingi possit animo, poetam de *epulis* quidem ipsis hoc dixisse: ἀνεγείρεσθαι κῶμον? Ain vero? — Minime, quod equidem putaverim. Porro numquid de laetis epulis hoc noster dicere potuit: illas οἴκοθεν οἴκαδε ἀπὸ Στυμφαλίων τειχέων ποτινίσεσθαι ut est in Ol. VI, 98—99 σὺν δὲ φιλοφροσύναις εὐηράτοις Ἁγησία δέξαιτο κῶμον οἴκοθεν οἴκαδ' ἀπὸ Στυμφαλίων τειχέων ποτινισόμενον ματέρ' εὐμείδη τε λείποντ' Ἀρκαδίαν. Ecce iam de transverso, ut ineptiis cumulus accedat, *epulas* Arcadiae *puellas* factas esse videmus atque hoc nobis nuntiari *epulas* a *matre* sua (ματέρα = ματρόπολιν cf. Λοκρῶν ματέρα = Λοκρῶν ματρόπολιν Ol. IX, 20) discedere parare. Euoe! Euax! matrem epularum Arcadiam evasisse! vereor autem, ut ab ista pastoritia epularum matre tenues admodum Irique epulae nobis ne adhibeantur. Vel etiam qui potuit Pindarus, posito semel hoc κῶμον *epularum* nomen esse, κρατῆρα suavem et ingenue liberrimeque loquentem, divini quadam vi numinis cuiusdam potentissimum, *interpretem* appellare *ipsius* κώμου? Numquid fortasse κρατήρ, quemadmodum suo quodam modo rusticorum hominum est interdum copiosiorum atque nimis effusarum epularum, cum illi se cibis ingurgitaverunt, interpres eodem hic quoque pacto erit Nem. IX, 49—50 θαρσαλέα δὲ παρὰ κρατῆρα φωνὰ γίνεται, ἐγκιρνάτω τις νιν γλυκὺν κώμου προφάταν! quinam, si κῶμος epulae sint, evocationem ridiculam poculi administri cuiusdam faciendi ut sit interpres liberrimus κώμου eo iste nobis poterit probare quod adseverat *vocem* fieri audaciorem atque fidentiorem poculo maxime auxiliatore? An vero de integro iam *vocis* potissimum indigebimus ut *epularum* possimus esse socii?! Quonam deinde pacto poetarum princeps lyricorum aberrare in haec possit ut profiteatur Pind. fragm. (ἐξ ἀδήλων ειδῶν) inter *poculum* et *epulas* eandem intercedere quam inter se ipsum Pindarum atque Μοῖσαν μαντευομέναν rationem: Μαντεύεο Μοῖσα, προφατεύσω δ' ἐγώ (= προφάτας μὲν[2]) ἔγωγ' ἔσομαι σοῦ, καθάπερ ὁ κρατὴρ προφάτας ἐστὶ κώμου)!! Lepidissimum sane, si tamen lexicographos nostros sequemur κῶμον nostrum explanantes! Consideretur insuper locus hic Ol. XI (X), 11—16 ἴσθι νῦν, Ἀρχεστράτου παῖ, τεᾶς, Ἁγησίδαμε, πυγμαχίας ἕνεκεν κῶμον ἀμφὶ στεφάνῳ χρυσέας ἐλαίας ἀδυμελῆ κελαδήσω, τῶν Ἐπιζεφυρίων Λοκρῶν γενεὰν ἀλέγων· ἔνθα συγκωμάξατ' . . . . . ὦ Μοῖσαι, κ. τ. λ. postquam poeta consilium a se initum aperuit, curaturum

---

[1]) *ἤγουν· τούτου κώμου ἥρωϊ* cf. *τίνα . . . . . ἄνδρα κελαδήσομεν;* (Ol. II, 2).

[2]) In libro meo: Pindar's ol. Siegesgesänge Trier 1878 pag. 134, lin. 22 legas ἔγωγε non autem ἐγώγε κ. τ. λ. itidem proparox. pag. 135 column. 2 lin. 6 legendum erat idem vocabulum.

se esse ut in media Locrorum gente quiddam suaviter modulatum magnifice atque dulce canoro cum sonorum concentu streperet (ἀδυμελῆ κελαδήσω) res eadem haudquaquam ut iam *epulae* essent fieri potuit, neque continuo subiici potuerit, quod tamen subiectum est illic, vos Musae, quaeso, ***epulamini*** mecum una (συγκωμάξατε)!! Porro rite admoneamur his locis: Pyth. VIII, 70—71 κώμῳ μὲν ἀδυμελεῖ Δίκα παρέστακε. — Nem. III, 3—5 ὕδατι γὰρ μένοντ' ἐπ' Ἀσωπίῳ μελιγαρύων τέκτονος[1]) κ ώ μ ω ν νεανίαι σέθεν ὄπα μαιόμενοι[1]). Numquid cordatus de *epulis* quidem praedicare poëta poterit: eas ἀδυμελεῖς esse vel μελιγάρυας. An vero aut ipsa Musa, si rectam τέκτονος iam tuemur scripturam, aut adolescentes (νεανίαι), si in hac etiamnum praesentia aliquem vel indebitum certe vulgatae respectum scripturae habeamus, an vero, inquam, sive hos accipis esse pueros ad choreas carminaque victoris causa accitos, quod falsum est, cum ex iis quae subsequuntur haud in obscuro sit de ἀεθλονίκαις ipsis sermonem haberi νεανίαις, sive cum recto rei intellectu ludorum laureis ornatos gymnicorum intellexeris, iidem ad extremum e lutetiano quodam genere evasuri sunt ἀρχιμάγειροι artifices! Aut illi igitur aut Musa nostra victus delicati administra lautorum usui commodoque eius generis hominum futura erit, quos Anglorum sermone *men of high life* vocitare consuevimus, iam nihil autem τέκτων μελῶν sive ἀοιδᾶν?! Aut tandem, cum νεανίαι lectissimi ὄπα vocem ποτνίας Μοίσας desiderant, numquid sic nobis persuaserimus, epulas istas famosas *vocis* opera a Musa solitas esse adparari! Aut si τέκτονες corruptelam tenere adversus sanam δόξ mentem malueris, num denique iam adolescentuli nostri culinarii artificiosissimi opifices ad eum expetent finem vocem maxime Musarum ut sibi, antequam operi manus admoveant, culinarii praecepti carmen voce Musae canatur?!

Vel etiam quonam mysterio hoc parabo ut mihi animo fingam epulas esse eas quidem αἴγλαν στεφάνοις ἀέθλων Πυθίων, id quod tamen de κώμῳ poeta noster asserit Pyth. III, 73—74 εἰ κατέβαν ὑγίειαν ἄγων χρυσέαν κ ῶ μ ό ν τ' ἀέθλων Πυθίων αἴγλαν στεφάνοις, τοὺς ἀριστεύων Φερένικος ἕλ' ἐν Κίρρᾳ ποτέ· Numquid regius amicus qui morbo afflictus iaceat atque cui ciborum abstinentia e medicorum servanda praecepto multo maiis ad salutem conducat quam convivia vel saliaria maximeque opipara, num vero idem omissa Pindari quidem opera ad epulas forsitan haud potuisset emergere, si eas maxime spectavisset, an quamobrem regi vates praeter *auream valetudinem* epulas potissimum, secum ut potuisset afferre, optaturus fuit eo ferme pacto quo homo aliquis rusticanus Marcianae silvae incola ad filiolum suum Suebulum reditu suo Norimberga hoc dixisset: „quantas, in laetitia quidem" „tua, tu mihi tragoedias excitaturus eras, si tibi forte Norimberga liba mellita munusculi causa" „attulissem!" — Quinam deinde fingere animo quisquam poterit, quemquam epulis corollarum instar frondium exornari, id quod fingendum certe esset, si verum esset, κώμῳ, loco quem iam sum in disputationis nostrae partes vocaturus, festas epularum laetitias adumbrari: Pyth. VIII, 18—20,

---

[1]) *μαιόμενοι ὄπα σέθεν τέκτονος . . . . . κ. τ. λ.* i. e. tuam artificiosissimae cuiusdam fabricatricis . . . . . vocem flagrantissimo cum desiderio opperientes. Scribendum enim est *τέκτονος* atque id cum *σέθεν* genitivo quodam poetarum huius eodem *σοῦ* locum tenente copulandum. Et enim de Musa dictum est a Pindaro, esse eam *affabrum quemdam* dulce loquentium (*μελιγαρύων*) *κώμων artificem* (*τέκτονα*): *νεανίαι* autem, sive hos esse statueris *ἀεθλονίκαι* qui re vera sunt, sive *νεανίας* hoc loco putaveris esse adolescentes quosdam artifices vocibus suis atque choreis tractantes agentesque opus quoddam poeticum, neutros appellari in plano est posse unquam *fabricatores* vel artificiosos sollertesque *κώμων μελιγαρύων opifices*. Atque quam verum esset, expellentibus mendosum illud vulgatae scripturae *τέκτονες*, asinum quidem a nobis esse deiectum de tegulis, colligi ex subsequentibus maxime poterit versibus, ubi, ut cetera quoque *ἐν παρέργῳ* attingantur, ob eam causam, quod ratio redditur a poeta cur *νεανίαι μαίονται Μοίσας* potissimum (*μάλιστα* in v. 7) *ὄπα*, corrigendum erit sic: *διψῇ γε* mutato *δὲ* in *γε*:

διψῇ γε πρᾶγος ἄλλο μὲν ἄλλου,
ἀεθλονικία δὲ μάλιστ' ἀοιδὰν φιλεῖ,
στεφάνων ἀρετᾶν τε δεξιωτάταν ὀπαδόν·

Quibus verbis hoc evidentur nobis subiicitur, rationem esse cupidissimi flagrantissimique in adolescentulis ***Musae*** ipsius *vocis* desiderii quod, *ἀεθλονίκαι* cum sint, *διψῶσιν ἀοιδᾶς* cuius *τέκτων* est ***Musa***, cui quidem propterea precatur suo loco vates noster in hunc modum: *τᾶς* (*ἀοιδᾶς*) *ἀφθονίαν ὄπαζε κ. τ. ἑ.*

δς εὐμενεῖ νόῳ ξεναρκεῖ ϑ'[1]) ὃν ἔδεκτο Κίρραϑεν ἐστεφανωμένον υἱὸν ποίᾳ Παρνασίδι Δωριεῖ τε κώμῳ. Hic vero quidem, credo, a dorio coquorum epulae profectae artificio atque tanquam pulmentaria quaedam ad olera e Parnaso maxime decerpta essent adiectae! Quid quaeris? Nonne illud bellissimum? Quod si κώμῳ in epulis interpretandis mentis uteris pertinacia, quadrata in hoc denique versu rotundis mutaveris, ubi e p u l a esse feceris Ἀπολλώνιον ἄϑυρμα, id quod est de κώμῳ hoc loco: Pyth. V, 20—23 μάκαρ δὲ καὶ νῦν, κλεεννᾶς ὅτι εὖχος ἤδη παρὰ Πυϑιάδος ἵπποις ἑλὼν δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀνέρων, Ἀπολλώνιον ἄϑυρμα, τῷ σε μὴ λαϑέτω Κυράναν γλυκὺν ἀμφὶ κᾶπον Ἀφροδίτας ἀ ε ι δ ό μ ε ν ο ν παντὶ μὲν ϑ ε ὸ ν αἴτιον ὑπερτιϑέμεν· Quo loco τῷ pertinet ad κῶμον atque victorem poeta vult commonefieri ne unum hoc obliviscatur, neve omittat quin deum decursu κώμου, huius carminis, gratiarum actionis causa, laudatione praedicandum super omnia ponat extollatve principem eundem reportatae victoriae auctorem: atque vero, num deus epulis cani se pateretur[2])! An vero, ut iam disputando finem imponam, poeta ipse ταμίας e p u l a r u m fuerit ut Isthm. VI, 54—55 Φυλακίδᾳ γὰρ ἦλϑον, ὦ Μοῖσα, ταμίας Πυϑέᾳ τε κώμων Εὐϑυμένει τε.

Cetera iam pergamus.

ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ — ex (ἐπὶ c. dat. = auf Grund von) amicae fortunae benignitate atque favore, *sur le fondement, sur la foi d'un destin bienveillant et propice.* κοῦφα βιβῶντα i. e. *tenero et molli et alacritate omni importuna gravitate molestoque pondere pedum tarditatis soluto levique incessu vel ingressu accedentem* (ad te).

V. 17. Superiorum temporum litterae λυδίῳ γὰρ turpantur illae quidem sorde ista γὰρ cum fraude intrusa orationis. Ceteroquin versus hic emendatissimus est: namque ῳ in hoc λυδίῳ cum 'A

---

[1]) Propter haec potissimum rationum momenta haud equidem inducere queam in animum, ut ad vulgatam *Ξενάρκειον* accedam scripturam. Nam in v. 1—5 precibus poeta Hasuchiae deae Dices filiae adsistit supplicibus, ut aequissimo benignissimoque Aristomenem Aeginetam triumphum laureae Delphis latae animo patiatur agere, non autem ut patiatur solum verum etiam ut eam ovationem illi velit fortunare beneque vertere faciat. Quibus vero precibus suis ut ipso suo ministerio suffragetur, idcirco fidem suam praestat atque pollicetur Aristomenem quidem ab omni vi atque superbia semper fuisse alienissimum semperque futurum esse, neque unquam opus esse ut optimo pacatissimoque viro Hasuchia vi aut superbia grassanti obviam se ad obsistendum obiiciat. Etenim, sic enim pergit vates dum sollicita prece sua Aristomenis deam causa ambire studet, haud unquam illum quidem, si superbum se violentumque gessisset, Apollo, id quod deus idem eo fecit quod non passus solum est virum verum etiam iussit *ποίᾳ Παρνασίδι* coronari, hominem tanquam *suum filium* (*ὃν υἱόν*) benignissimo atque eo animo quo ab hospitibus quidem suis omnem inimicam vim atque iniuriam defendere solet atque averruncare hospitio excepisset: cum tamen idem deus contra quam Aristomeni iam faceret, Typhon (Thyphoeum) Gigantum principem superbissimum atque injuriosissimum in numina fulguribus sagittisque suis perdomuisset. Ex altera autem parte non Xenarces pythicam nescio quis quae hic agitur retulit victoriam verum Aristomenes Aegineta. Neque vero potest ullo modo probari iustis aut confirmari argumentis Xenarcem aliquem patrem esse Aristomenis nostri cum in v. 71—72 non propter *unum aliquem hominem* preces a poeta propter sortes atque fortunas eas quae *omni universoque Aeginetarum generi* obvenissent atque contigissent, fundantur. Quas easdem Pindarus sortes *ξεναρκεῖς* ait esse, quemadmodum pariter in v. 23 insulam ipsam Aeginetarum praedicat esse *δικαιόπολιν*, cum praeterea emendationis nostrae versuum 71—72, cuius correctionis decursus sic se habet:

ϑεῶν δ' ὄπιν
ἄφϑιτον αἰτέω ξεναρκέσ' ὑμετέραις τύχαις·

veritas et aliis Pindari sermonibus variis atque multiplicibus et ex Ol. VIII, 25—27 ipsa luce clarius effici posse videatur: *τεϑμὸς* enim *τις ἀϑανάτων καὶ τ ά ν δ' ἁ λ ι ε ρ κ έ α χ ώ ρ α ν παντοδαποῖσιν ὑπέστασε ξ έ ν ο ι ς κ ί ο ν α δ α ι μ ο ν ί α ν* quae verba in eandem quam hic v. 71—72 locus, in quem nunc ipsum a nobis anquiritur, sententiam precationis concluduntur: *ὁ δ' ἐπαντέλλων χρόνος τοῦτο πράσσων μὴ κάμοι* i. e. *μὴ κάμοι ὑποστάσων τάνδ' ἁλιερκέα χώραν κίονα δαιμονίαν ξένοις παντοδαποῖσιν.* Ecce *ξεναρκεῖς τῶν Αἰγινητῶν τύχαι!*

[2]) Cave autem scribas eodem laudato loco cum *Ty. Mommsenio* sic: *Κυράνα . . . . . ἀειδομένα.* Neve cum viro doctissimo interiicias ullam inter hanc vocem *ἀειδομένον* et alteram illam *παντὶ* distinctionem. Primum enim *κᾶπον Ἀφρ. ipsam* Pindarus *Cyrenen* appellat, deinde *Apollinem, P y t h i c u m* deum facit hic, non autem nunc maxime Aphroditen, *ἀ ε ι δ ο μ έ ν ο ν ἀμφὶ κᾶπ. Ἀφροδ.* cum ille quidem, non autem dea haec *Pythicae* huius laureae auctor esset!

vocali longa huius Ἀσώπιον confluit in συνίζησιν sive συνεκφώνησιν eodem prorsus iure quo in illo pervulgato passeribusque ipsis notissimo Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ vel etiam in hoc altero item homerico διακτόρῳ Ἀργειφόντῃ. Illud autem huius vocabuli λυδίῳ a *Ty.* ***Mommsenio*** in deterius ita deflexum, ut iam esset λυδῷ, mendum est metro damnosissimum existimandum. Namque e praeceptis metrices artis versus hic ita se habet:

– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ –

V. 18 ἔμολον (ЄΜΟΛΟΝ) corruptela est, reparandumque sic erit: ἔμολεν atque ex ʼЄΜΟΛЄΝ iniuria quadam vetustatis evasit ЄΜΟΛCΝ, unde postremo erroris culpa librariorum ЄΜΟΛΟΝ.

Quippe cum manifestum atque in promptu sit, verbis his, adnumerato quidem λυδίῳ excepto autem οὕνεκ', iis dico quae sunt inter utrumque interposita, id agi ut confirmetur, quod hac subest oratione: κοῦφα βιβῶντα ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ, eademque aperte κῶμον i. e. *triumphalem pompam laeta carmina conclamantem atque solutis inertia alacritate levibusque gressibus incedentem intueri.* Interponendae vero ipsius personae vatis loci relictum est nihil. ἐν τρόπῳ ἔν τε μελέταις = in modo atque in pronuntiationibus actionibusque, in Weise und Vorträgen. Igitur λυδ. ἐν τρόπ. ἔν τε μελέτ. latine revocanda erunt ad haecce: *lydia ratione numerose gradientium* (in lydischem Taktschritte aux pas de cadence marqués à la lydienne) *atque Lydorum genere modorum pronuntiandorum* (Asopium concinens Ἀσώπιον ἀείδων).

V. 19 ἁ Μινυεία = Minyeia = urbem Minyorum cf. Hesiod. Eo. fragm. LIII. 56 Ὕηττος δὲ Μόλυρον . . . . . . κτείνας . . . . . . οἶκον ἀποπρολιπὼν φεῦγ' Ἄργεος ἱπποβότοιο, ἷξεν δ' Ὀρχομενὸν Μινύειον·

V. 20 σεῦ (Θαλίας) ἕκατι = tuo (Thaliae) favore atque beneficio (quod in eos contulisti, quia te, quemadmodum a Minyis edocti sunt atque instituti, coluerunt). Ab A. Boekhio vitio inquinatus est versus qui iam versatur in disceptatione immutante illam μελαντειχέα codicum Paris. G, Medic. B et Medic. E scripturam emendatissimam in hanc μελανοτειχέα. In quo illi ridicule accidit non solum ut metrum huius versus ipsum per se corrumperet verum etiam ut in eo ita laberetur ut idem constare iam minime posset cum legibus metricis impositis versui octavo strophes quocum tamen congruus hic esse versus oporteret. Cuius inconstantiae consilii atque iudicii non possumus quin maiorem cernamus etiam apud *Ty. Mommsenium* mensuram qui praeterea vitium Boekhianae versus 20[i] scripturae operi suo inseruit. Versus 8 strophes ita est apud *Boekhium:*

οὔτε γὰρ θεοί τι Χαρίτων ἄτερ

id quod in hanc abeat formulam metricam:

– ⏑ – ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ –

Metri autem versus 20[i] huic congrui Antistrophes apud eundem *Boekhium* res hoc geritur ordine:

– ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

Tychoni autem *Mommsenio* totum sic vertitur negotium: In V. 8 strophes:

– ⏑ – ⏑ – – – ⏑ ⏑ – ⏑ –

contra in V. 20 Antistrophes:

– ⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

V. 23 egregie atque praestabiliter a scriptore chartae vaticanae B hac κόλπεισι scriptura absoluta illa κόλποις iam inchoata lectione correctio est. Quam emendationem, ut est vir mente docili atque acri, in suum quoque usum convertit Ahrensus.

V. 24. πτεροῖσι κ. τ. ἑ. — πτερὰ sunt ipsae lemniscorum laciniae circum coronam in capite impositam alarum instar aurae flatibus agitatae fluitantes.

III.

Emendatio loci Terentiani selecti (Terent. Phorm. IV, 4, 24—29) accessionis nomine adiecta.

In dissertatione critica Terentiana, qua anno MDCCCLXXVII *Könighoffus* vir ornatissimus atque liberalissimus in primo limine indicis scholarum trevericarum scriptoris illius comoediarum emendationem attigisset, cum et collaudandum sit et comprobandum vehementer quanta cum rei auctoritate atque quantis cum ingenii quibusdam lacertis contra ipsum Bentleium in verissima (V. 26) scriptura: *per inpluvium* tuenda atque vindicanda enixus elaboraverit: tamen dolendum est quodam modo virum sagacissimum tantam et vim acuminis et doctrinae copiam in tentanda versuum Terentianorum Phorm. IV, 4, 26—29 frustra purgatione mendorum consumpsisse. Nam primum Geta Antiphoni, ut inanes eius timores compesceret atque demonstraret Phormionem illa quam secum iniisse simulaverat coïtione de ducenda in matrimonium puella Antiphoni iamiam collocata stare neque posse neque debere, totam illorum seriem monstrorum, quae sibi ex illius tempore pactionis evenisse Phormionem Geta confirmabat speciei faciendae causa narraturum esse, percensente, Könighoffus in versu 24 vitiis a superioris aetatis hominibus receptis neque a se animadversis ita rem persequitur:

. . . . . Ant. Quamobrem? aut quid dicet? Ge. Rogas?
Quot res post illa monstra evenerunt mihi!
Intro iit in aedis ater alienus canis;
Anguis per inpluvium decidit de tegulis;
Gallina cecinit; interdixit hariolus;
Aruspex vetuit ante brumam autem novi
Negoti incipere; quae causa est iustissima.

Res quemadmodum hic inter se cohaereant vir praestantissimus minime est assecutus: cum iis quibus usus est distinctionibus appareat, in monstris numerari ab illo id quod *interdixit hariolus, aruspex vetuit* neque intellexisset, illud:

quot res post illa monstra evenerunt mihi!

haud exclamari a Geta, verum oratione tranquilla et sedata et placata proferri neque cum antecedentibus solum ita maxime connexum atque aptum esse, ut, cum Antipho quaesiisset hoc: *aut quid dicet* (Phormio causandi gratia), Geta ad id excepto alterius sermone: *„Rogas?“* inquit, ubi cogitatione supplendum sic fuerit: *„Rogas* me, quid ille sit dicturus?“: verum etiam cum iis quae in reliquo utriusque hominis sermonis decursu sequuntur, ita quidem, ut una cum insequentibus simul audiendum mente sit hoc: *„ille nimirum dicet“*, deinceps autem scribendum:

quod, res post illas, monstra evenerunt mihi:

posita eius, quod nostri homines colon vocare consueverunt, signi distinctione; quae verba cum iis quae sequentur ita continentur ut iisdem ratio ab Antiphone Phormionis accipiatur, quanam re *interdixerit* hariolus nuptias. Universa autem versuum nostrorum series hoc potissimum modo erit conformanda:

. . . . . *Ant.* Quamobrem? aut quid dicet? *Ge.* Rogas?
„Quod, res post illas, monstra evenerunt mihi“:
„Intro iit in aedis atria plenus canis“,
„Anguis per inpluvium decidit de tegulis“,
„Gallina cecinit: *interdixit hariolus“*
„Aruspex id vel, ante brumam auctumni novi“
„Negoti incipere; quae causa est iustissima“.

Atque sic interpreteris: (Propterea) quod, post illas res, monstra evenerunt mihi: (propterea quidem) interdixit hariolus aruspex id vel negoti incipere ante brumam auctumni novi: et ea est causa iustissima. Quae sunt in hanc maxime explananda sententiam: hariolus aruspex interdixit mihi vel incipere id negoti ante brum. auct. novi, propterea quod post illas res monstra evenerunt mihi (quibus praemissis monstrorum ternarius numerus exponitur) et id quod monstra evenerunt mihi est causa (interdicendi) iustissima *et ces sorts que j'ai eus, voilà précisément une raison très-plausible de cette défense.* Videsne, nihil iam subesse, cuncta autem atque singula quam expeditissima esse? At tu obloqueris mihi fortasse, cur, inquies, omnem tu quidem inter haec: *hariolus* et *aruspex* sustulisti distinctionem? Agedum, audi tu, sodes! Cum enim quivis haruspex idem esset hariolus, quod idem haud etiam contra valeat ut omnis hariolus idem haruspex esset: id minimo gentium! ergo, cum quivis haruspex hariolus esset idem, nullo pacto ponendum est, aliquem ut in haruspicis *unius* consulti acquievisset arbitrio tantum abfuisse ut *praeter haruspicem* alterum insuper *harioli caput* arcessendum sibi esse existimavisset. — Deinde non modo *persequi*, verum tantum vel *incipere* id negoti interdixit homini nostro hariolus: atque eam Phormio, ne jam diutius urgeatur ut fidem suam datam persolvat, inceptum ipsum rei sibi vetitum esse non rem solam causam interseret: ita plane ut hoc *vel* vocabulum desiderari omnino videatur. Oblitterata vero hac voce: *id,* neque iam metro impediebatur quominus illud VEL, detersa inferiore literae L linea, praesertim cum punctorum maxime, neque aliorum ullorum adhibitorum a puncto diversorum signorum, intervallis voces singulae universae inter se solerent segregari: pristina scriptura VEI (VEL) alia prorsus vox, velut VEIVII i. e. VETVIT nostrum, atque ea quidem in compendium redacta putata erat. Deinde licet *Könighoffus* ne in suspicionem quidem laesae a superioribus versus 25 integritatis ullam venerit, cum scripsisset:

intro iit in aedis ATERALIENVS CANIS

tamen iam ab altera illa scriptura (versus 27): *Anguis per inpluvium decidit* menti nostrae non subiicitur solum, verum obtruditur haec:

in aedis ATRIAPLENVS CANIS,

ita quidem ut praeteriri posse nequaquam videatur.

Ad singularem *aedis* numerum de hominum domicilio usurpatum cf. Hor. Carm. I, 30 O Venus regina — — — — — vocantis ture te multo *Glycerae* decoram transfer in *aedem.* Plaut. Mostell II, 2, 44 Capitalis *aedis* facta est. — Plaut. Asin. I, 3, 67 *aedis* nobis area est, auceps sum ego. caet. — Atria (plur.) sunt cubicula atrium circumiacentia, in quod atrium ipse pleni canis introitus infaustum quoddam omen sive monstrum ob eam maxime causam iudicatum est, quod in atriis lecti geniales sterni solebant Romanis. Gallina autem canente, cum gallus solus canere deberet, adversum, propter uxorem solo tantum corpore muliebrem, coniugium portendi videbatur solere. Postremum v. 28—29 hos quidem, quos tamen Bentleius summa cum cautione adiisset, *Könighoffus* voluntatis suae truncatos nobis reliquit arbitrio, atque cum et se a medicorum dixisset profectum esse antiquo praecepto: *ut corporis partes quae sanari non possent resecandae essent* et locum nostrum desperatum iudicavisset: tamen adeo pauca in hac oratione Terentio reliqua fecit, ut periculum esse verear, ut poeta noster, si ab inferis excitari posset, ne illi propter membra sua mutilata atrociter reponeret neve lege ageret cum eo ut membra sibi ablata suis ille ad compensanda adigeretur aut ad chirurgum illum compelleret ut is hominem male atque crudelissime officiosum illum sibi claudicandi socium comitemque itineris adjungeret — Hac enim via grassatur *Könighoffus* ut nobis satis infelix auctor sit rei hac ratione gerendae: „verbis igitur", inquit, illis: *ante brumam* — — — — — *incipere* „eiectis versus exsistit hic:

Aruspex vetuit: quae causast iustissima".

Diekirchi, Pridie Idus Jun. MDCCCLXXVIII.